

assolet eam opinionem sequuntur, ut locus, qui caret Episcopo, Civitas dici nequeat; alii contra, Civitatem sine Episcopo esse posse, propugnant; tùm quia Civitates fuerunt ante institutos Episcopos, ut observat etiam Glossa in cap. Si Civitas, de sent. excommur. in 6 tùm quia, si fortè contingat, Episcopum à civibus interfici, ea quidem pœna inter alias, in sacrilegam Civitatem infligitur, ut Sede Episcopali perpetuò careat, non ideo tamen Civitatis titulo & jure spoliatur; sicut colligitur ex textu in Can. Ita nos, 25. quæst. 2. & observat Decius in cap. Episcopalia, num. 9. de privilegiis.

XVIII. Nos quidem semper arbitrati sumus, Civitatis honore potiri posse locum, qui Episcopo careat, dummodò aliunde illustris sit, iisque dotibus & prærogativis ornatus, quæ Civitatibus conveniunt, & à supremo Pontifice, cui talis auctoritas sit, Civitatis jure & appellatione donetur. Ita felic. rec. Prædecessor noster Benedictus Papa XIII. tamquam Dominus temporalis, & Princeps, Oppidum Ronsilionis in Civitatem erexit, jussitque, ut in posterum Civitas diceretur, & incolæ civium titulo decorarentur. Non ideo tamen Episcopalem Sedem in Civitate Ronsilionis constituit; sed voluit, ut quemadmodum superiori tempore, ita deinceps Episcopo Sutriño subjecta esset, nec is in ea Sedem habere teneretur; sicuti videre est in ejus Constitutione incipient. In supremo militantis, quæ est 225. tom. 12. novi Bullarii. Parem Nos etiam honorem contulimus Oppido Pergulæ; ita tamen, ut nova Civitas Eugubino Episcopo, ut antea, subdita remaneat, neque hic ullo pacto ad residendum in ea compelli possit; sicuti videri potest in nostra Constitu-

tionem, quæ est 91. tom. 3. nostri Bullarii. Contra verò persuasum semper habuimus, quod statim ac Episcopalis Sedes in aliquo Oppido fuerit stabilita, etiamsi illud antea Civitatis jure non gauderet, eo ipso ad Civitatis gradum assurgat, ipsique omnia Civitatis privilegia debeantur; siquidem Canonici Juris regula est, ne in Villis, & Pagis, sed solum in Urbibus Episcopalis dignitas statuatur; uti decretum legitur in Can. Episcopi, & in Can. Illud sane, dist. 80. & in cap. Episcopalia, de privilegiis. Quamobrem Romani Pontifices, cum in aliquo Oppido, cui nec Episcopus antea fuerit, nec titulus Civitatis, Episcopum primò constituunt, eodem tempore, quo illud Sede Episcopali exornant, simul etiam Civitatis honore illud adaugent; sequenti nimirum formula utentes: *Oppidum N. in Civitatem, Ecclesiam verò in Cathedrali pro uno Episcopo, &c. erigimus, & instituimus*; uti Fagnanus animadvertit, & instituimus in cap. Episcopalia, num. 15. de privilegiis, ubi etiam exemplum memorat Sixti V. qui ea ratione Oppida Montis, alti, S. Severini, & Tolentini, in Civitates erexit, & Episcopali Sede decoravit. Illud demùm censuimus, si fortè Oppidum, aut Castrum aliquod jam à seculari Principe honorem obtinuerit Civitatis, & justæ causæ non desint, ob quas Episcopalis Cathedra ad novam Civitatem transferatur, hoc fieri conveniens esse, & quidem per viam simplicis translationis; cum nec sacrorum canonum lex aliud requirat, quam ut Episcopales Cathedrae in populosis Urbibus, tantoque honore dignis, minimè verò in locis obscuris & infrequentibus, statuuntur; & nulla necessitas exigat, ut locus, qui antea Civitatis jure gaudebat, iterum in Civitatem erigatur, ut novum Episco-

palis Sedis honorem consequatur. Quo pacto, licet nemo nobilis esse possit, qui ingenuus non sit, si quis tamen ingenuus, novo nobilitatis honore donandus sit, nequaquam indiget speciali privilegio, quo ipsi tribuantur ingenuitatis jura, quæ jam obtinebat; ut optimè ad rem nostram advertunt Doctores de hac materia tractantes.

XIX. Ad Dioecesis confinia, quæ ut diximus, in prima relatione solent ab Episcopis memorari, factum mox referendum pertinet. Cum celebris Cardinalis Ximenez de Cisneros magnam illam expeditionem in Africam aggressurus esset, cum Ferdinando Rege convenit, ut si Orani civitas ab infidelium potestate eriperetur, Ecclesiæ Toletanæ jurisdictioni subiceretur; eaque conventio, & aqua visa est, & summi facile obtinuit effectum. Compertum enim fuit, Orani urbem nunquam fuisse Episcopali Cathedra ornatam, nulloque prorsus jure Titularem quemdam Auriensem Episcopum eam sibi civitatem vindicare, tamquam in assignata sibi Dioecesi constitutam. Quæ in hoc negotio tunc agitata & acta fuerunt, referuntur ab Alvaro Gomez de rebus gestis Francisci Ximenii lib. 3. fol. 127. Et de hac ipsa re loquitur etiam Thomassinus de Beneficiis part. 1. lib. 1. cap. 27. n. 9. Orani postea civitas, quæ expugnata tunc fuit, in potestatem rursus Maurorum venit. Cum verò eam armis iterum subegisset clar. mem. Philippus V. Hispaniarum Rex Catholicus, eamdem Cardinali de Astorga Archiepiscopo Toletano restitutam voluit, tamquam illius Dioecesis membrum, & partem; Cardinalis autem nihil intentatum reliquit, ut Catholicam Religionem ad pristinum splendorem in ea civitate revocaret. Hoc itaque celebre factum, cujus etiam meminit Præ-

sul Ildephonsus Clemens de Arostegui in sua Concordia Pastoralis part. 1. cap. 5. num. 41. in prima Toletani Archiepiscopi relatione jure ac merito erit commemorandum.

CAPUT VIII.

De relatione status Ecclesiæ, & secunda ejusdem parte.

In hac secunda relationis parte plura rerum capita attinguntur. Primum respicit residentia præceptum, cui an plene obtemperaverit, docere debet Episcopus. Secundum pertinet ad Episcopos, nulli Archiepiscopo, sed Sanctæ Sedi immediatè subjectes; qui referre debent, an Archiepiscopum delegerint, cujus Synodo Provinciali unà cum illius Suffraganeis debeant interesse. Tertium denique exponenda docet, si quæ fortè adsint impedimenta, quibus ab implendo munere Episcopali detineantur.

II. Ad primum quod spectat, Nos sanè Episcopos, ut residentia legem servarent, graviter admonere non prætermisimus in nostris encyclicis Litteris, anno 1740. editis, ac deinde impressis Bullarii nostri tom. 1. num. 2. Sed fusiùs in nostra Constitutione, cujus initium est Ad universæ, anno 1746. emanata, quæ est 18. tom. 2. ejusdem nostri Bullarii, cum omnes nostrorum Prædecessorum Constitutiones ad residentiam spectantes retulerimus, atque confirmaverimus, singulas ferè leges in ipsis præscriptas, & à sacris Pastoribus servandas, exponere, & declarare curavimus; legitimas quoque causas indicavimus, ob quas Episcopis permittitur à propriis Sedibus aliquandiu abesse; simulque cautelas ab iis adhibendas, ne animarum regimen, ipsis absentibus, ali-

quid detrimenti patiatur. Episcopus igitur in sua relatione redditurus rationem de hoc districto residendi præcepto, si nostram citatam Constitutionem attentè legerit, facillè intelliget, an illi satisfecerit, an ab eo defecerit.

III. In superiori *lib. 7. cap. 1. num. 7.* sex esse asseruimus Episcopatus suburbicarios; Ostiensem, Portuensem, Sabinensem, Albanensem, Prænestinum, & Tusculanum; quos nempe in titulum obtinent sex illi S. R. E. Cardinales, qui in sacro Collegio Episcoporum ordinem constituunt. Ibi etiam ostendimus, hos Episcopos Cardinales, etiamsi Romæ resideant, ac suam Summo Pontifici operam præstant, de non impleta residendi obligatione reprehendi posse. Quia verò aliquandò contingit, ut non solum uni ex suburbicariis Ecclesiis, sed simul etiam alteri præsent, quæ suburbicaria non est; idcirco de hac consuetudine instituendus Nobis est sermo, videndumque, in quarum utraque hi Cardinales Episcopi debeant residere, ut suo muneri satisficiant.

IV. A Tridentino Concilio, præter alia in præcedentibus decretis statuta, *sess. 7. cap. 2. de reform.* interdictum legitur, ne quælibet persona, in quacumque dignitate constituta, duabus Episcopalibus præsit Ecclesiis sive in titulum, sive commendæ jure. Porro in Cardinalis Brancatii Dissertatione *de Optione sex Episcopatum pag. 62. & seq.* multa leguntur decreta summorum Pontificum, ante Tridentinum Concilium Cardinalibus permissentium, ut præter quamcumque aliam Episcopalem Ecclesiam, habere etiam possint altera ex suburbicariis. Post Tridentinum verò Concilium, Venerabilis Cardinalis Bellarminus anceps fuit & dubius, utrum liceret Cardinalibus habere eodem tempore duas

Ecclesias, quarum una Cardinalitia esset, altera non esset: *Timendum est, ne fortè non sint in conscientia tui, qui aliquandò duas Ecclesias habent, unam Cardinalitiam, alteram non Cardinalitiam.* Clemens verò VIII. Pontifex Maximus ex citato dubio ita respondit: "Quoad illam polygamiam, ea interdum in istis ex Episcopatibus Cardinalitiis, circa quos nihil immutandum duximus, cum à Prædecessoribus nostris, etiam post Concilium Tridentinum, res hæc examinata fuerit, & ita constituta; & turbare ordinem Collegii, & redarguere facta Prædecessorum nostrorum, & tot Cardinalium, non visa fuit Nobis res, quæ sine scandalo fieri possit." Et summus quidem Pontifex Urbanus VIII. in suo Decreto die 28. Novembris 1633. edito, dixit hanc consuetudinem invaluisse; attamen *à se non laudari, nec improbari; commendari verò Cardinales aliarum Ecclesiarum Episcopos, utpotè Cardinalem Borromæum piæ memoriæ, & alios, qui optimè hujusmodi abstinerunt.*

Ad hanc rem examinandam Congregatio particularis habita fuit jussu Alexandri VII. die ultima Junii anni 1666. in qua, etsi non omnes initio in eadem opinione convenirent, plurimum tamen sæculorum consuetudine considerata, conclusum denique est, nihil esse innovandum; atque decretum fuit, "Ecclesiam Ordinis Cardinalitii habendam in titulum, cum hic adhæreat essentialiter dignitati Cardinalatus, alteram verò Ecclesiam in commendam; propterea transiuros ad Episcopatum Cardinalitium absolvi potius debere à vinculo Ecclesiæ, cui jam præsent, neamque in administrationem accipere;" ideoque improbata fuit optio Episcopatus Tusculani, quam Cardi-

na.

nalis Sabellus, Archiepiscopus Salernitanus, ita admitti postulaverat, ut Archiepiscopatus sibi relinqueretur in titulum, Episcopatus autem sibimet in commendam: seu in administrationem concederetur. At Clemens XII. Prædecessor noster, hujusmodi Ecclesiarum conjunctioni in unius Cardinalis persona salubrem modum imposuit per suam Constitutionem, quæ incipit *Pastorale officium*, & est 22. *tom. 15. Bullarii nov. Romani*; ubi nimirum §. 7. non solum ii Cardinales commendantur, qui, dum unam aliquam Episcopalem Ecclesiam obtinent, ab optione alterius ex suburbicariis abstinent; sed præterea dicitur, quod, si quando eveniat Cardinales, alteri jam Ecclesiæ præfectos, ad aliquam ex suburbicariis Ecclesiis per optionem adspirare, Romani Pontificis partes esse debebunt, animum sedulo advertere, & deliberare, "utrum expediat eis concedere administrationem, seu alio nomine, retentionem alterius Ecclesiæ, cui antea præerat, ac in primis utrum ambæ sint invicem adeo propinquæ, ut pastorem curam utriusque commodè impendere, suumque ministerium rectè implere valeant."

V. Ex eo autem, quòd Cardinalis Episcopus à prioris Ecclesiæ vinculo absolvatur, ut dictum est, cum debitis concurrentibus circumstantiis, alterius Ecclesiæ suburbicariæ optio ipsi conceditur; non defuerunt, qui hoc inferre se posse judicaverint, majori jam libertate gaudere posse hujusmodi Cardinalem in illius Ecclesiæ regimine, quam administrationis titulo retinet; ideoque in ejus potestate esse, quandocumque illam dimittere, neque proprio ac rigoroso præcepto residendi apud illam obstringi. Quod quidem, & rectæ rationi, & Ecclesiasticæ regulæ adversatur. Aliquam enim veritatis

Tom. II.

speciem habere posset, si nihil aliud in proposito casu intercederet, præter absolutionem à vinculo prioris Ecclesiæ. Sed, cum eidem sic absoluto illiusmet Ecclesiæ retentio in administrationem unico eodemque contextu concedatur, unicuique deprehendere licet, canonicam hanc esse loquendi formulam, idcirco adhibitam, ut excludatur duarum Ecclesiarum in titulum retentio, non autem ut Cardinalis Episcopus ab iis obligationibus eximatur, quibus utriusque Ecclesiæ optimo regimini intendere, & advigilare tenetur. Neque verò gubernium Ecclesiæ, quam administrationis nomine retinet, pro libito dimittere potest; cum, juxta vigentem præxim, Summi Pontificis assensus ad id ante requirendus sit; eoque impetrato, solemnibus dimissionis actus scripto redigendus, & proprio dimittentis chirographo sit roborandus. Tantum verò adest, ut rigorosa lege residendi apud Ecclesiam administrationis nomine retentam solutus censi valeat, ut contrarium omnino disertè statutum fuerit ab Urbano Papa VIII. in superius allegato Decreto, cujus hæc sunt apertissima verba: *Insuper Sanctitas sua declaravit; dubium hactenus nullo modo fuisse, nec esse debere, residentiam Cardinalium Archiepiscoporum, ac Episcoporum, extitisse, & esse apud alias Ecclesias Metropolitanas, seu Cathedralis sibi commissas, non autem apud sex Ecclesias Cathedralis titulares eorumdem Cardinalium, in quibus Cardinales ordine priores præesse solent, &c. & propterea eos, qui aliis Ecclesiis supradictis præsent, & apud eas non resederunt, nec resident, non fecisse, nec facere illarum fructus suos, etiam sub prætextu, quod alicui ex dictis sex Ecclesiis præsideant, & in urbe commorentur.* Quod quidem Decretum

M

Nos

Nos etiam confirmandum duximus in antedicta nostra Constitutione 18. §. *Et quoniam, nostri Bullarii, tom. 2.* Itaque extra dubium est, Cardinale Episcopum in exhibenda Apostolica Sedi relatione status illius Ecclesiae, quam in administrationem retinuit, dum aliam suburbicariam per optionem adipisceretur, de residentia apud illam servata docere debere, simulque de vigilantia & cura alterius regimini impensa; si eam nimirum, cum potuit, praesens visitavit; si Ordinationes, Confirmationes, aliaque Episcopalia munia aliquando apud ipsam exercuit; si denique illius administrationi, quantumvis absens, opportunè consuluit aut per Episcopum Suffraganeum, uti fieri solet in duabus Ecclesiis, Ostiensi, & Sabinensi, aut per idoneum, expertumque Vicarium. Harum siquidem Ecclesiarum regimini rectè applicari potest praecipuum Concilii Lateranensis sub Leone X. habiti, ubi dum agitur de Episcopatibus, qui tunc temporis à Cardinalibus etsi non residentibus facile obtinebantur, ita statuitur: *Omni conatu suo provideant inserviri Cathedralibus, dignos & idoneos Vicarios, seu Suffraganeos, prout consuetudo fuerit, cum digna competenti mercede apponentes.* Videndus hac de re Thomassinus *de Beneficiis part. 1. lib. 1. cap. 27. num. 6.*

VI Soli non sunt Cardinales, qui ex tacita Romanorum Pontificum dispensatione duos retineant Episcopatus, Cardinalitium scilicet in titulum, alterum verò neque Cardinalitium, neque suburbicarium, in administrationem vel commendam. Etiam in Germania nec defuere, nec desunt Praesulum aliquorum exempla, quibus indultum est, ut tres simul, & quatuor etiam Episcopatus obtineant. Ita enim expedire censetur Catholicæ Religionis utilitati;

cujus valde interest, in illis regionibus Episcopos esse magna auctoritate & potentia praeditos, ne eandem Religio ab hæreticis opprimatur. Legi de hac re possunt Cardinalis Pallavicinus in *Historia Concilii Tridentini lib. 24. cap. 12. num. 11.* alter Pallavicinus in *Defens. Romani Pontificatus tom. 1. lib. 15. cap. 17. §. 1. pag. 657.* Thomassinus *tom. 2. de Beneficiis lib. 3. cap. 20. num. 13.* Fagnanus in *cap. Dudum, Il secondo, n. 29. de electione.* Alios collegit Rigantius in *Regulam primam Cancellariæ §. 3. num. 167. & seq.* ubi multa refert exempla hujusmodi retentionum, quas Romani Pontifices Episcopis per Germaniam, sublimioris praesertim generis, ex praedicata causa concesserunt.

VII. Verum fel. rec. Praedecessor noster Clemens Papa XII. cum sapienter animadvertisset, ex eo quòd uni eidemque personæ tot Episcopales Ecclesiae permitterentur, eam ab Ecclesia Catholica utilitatem, quæ sperabatur minimè percipi, ex Pastoralis officii sui munere huic rei remedium aliquod censuit adhibendum. Itaque, cum vidisset, plurium Episcopatum consecutionem ex earum litterarum concessionem pendere, quibus eligibilitas indulgetur; cum scilicet, hujusmodi Indulgentiarum vigore, qui unicum habebat Episcopatum, & ad alium transire non poterat, nisi per ordinariam postulationis viam faciliorem exinde semitam sibi aperiret ad aliam Ecclesiam assequendam; duo saluberrima Decreta edidit; quorum altero, tamquam regula, uteretur in posterum Congregatio Consistorialis; altero autem Brevium Secretaria. Hæc typis impressa, quantum scire potuimus, cum nondum fuerint, optimum esse ducimus hic ea inserere, ut perpetua eorum memoria servetur, & ut executioni opportunè mandentur, cum

ea plurimum conferre posse putemus, nisi ad tollendam penitus, at saltem ad cohibendam in Germania immoderatam in una eademque persona Episcopatum pluralitatem.

VIII. Primum pro Congregatione Consistoriali sic habet: „Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa XII. animadvertens, minimè expedire, quod Episcopis in Germania, etiamsi sublimibus familiis orti sint, tam facile concedatur dispensatio ad effectum retinendi simul tres, vel quatuor, ac etiam quinque Cathedralis Ecclesias, quarum Praesules temporali quoque dominatu possunt, praesertim cum experientia compertum sit, eas dioeceses ab hæreticorum erroribus magis esse immunas, quarum singulæ ab uno gubernantur Episcopo; hinc majorem deinceps circumspectionem in hoc adhiberi mandat, nec solum attendi exempla, sed peculiare perpendi singulorum casuum circumstantias, habita nimirum ratione temporum, personarum, & Ecclesiarum; ita quidem, ut dispensationum impertiendarum norma summatur potissimum à majori Ecclesiarum ipsarum bono, ac utilitate. Quod si iis, qui alicui jam praesint Ecclesiae, justis de causis à Sede Apostolica aut jam fuerit concessum, aut deinceps concedi contigerit Indultum eligibilitatis ad aliam, declarat Sanctitas sua, non per hoc censi debere concessam dispensationem ad effectum simul retinendi praedictam quoque aliam Ecclesiam, postquam electio peracta fuerit; sed antequam electio ipsa à Sede Apostolica confirmetur, summa maturitate esse examinandum, an utilitas, vel necessitas talium Ecclesiarum, & Catholicæ Religionis tuendæ ratio

„postulet, impertiri hujusmodi dispensationem pro omnium retentione vel potius in ejusdem electionis confirmatione poni oporteat decretum de alia Ecclesia dimittenda.”

„Declarat itidem Sanctitas sua, non convenire, ut indiscriminatim, nulloque delectu, & sine causæ cognitione, tribuatur Episcopis facultas retinendi simul plures Dignitates, aut Canonatus Cathedralium, vel Collegiatarum Ecclesiarum, tam in Germania, quam in Poloniae Regno; per hoc quippe Divino cultui non mediocre detrimentum affertur, Ecclesiae debitis fraudantur obsequiis, & Ecclesiastica stipendia, quæ congruæ plurimum Ministrorum Dei sustentationi destinata sunt, in unam collata personam, incitamentum praebent ad luxum. Mandat itaque Sanctitas sua, cautiùs, quam hactenus forsant factum fuerit, hac etiam in re in posterum agit, & exemplis sepositis, spectari in primis id, quod juxta locorum, Ecclesiarum, personarumque conditiones, ad ampliorem Dei gloriam expedire visum fuerit. Ne autem saluberrimi hujus moniti memoria obsolescat, vult Sanctissimus Pater praesens hoc Decretum asservari apud Acta sacrae Congregationis, rebus consistorialibus praeposita; atque illud ab ejusdem Congregationis Secretario pro tempore, quotiescumque opportunum fuerit, in memoriam revocari eorum, qui his de rebus consilium Pontifici Maximo daturi sunt. Hac die 6. Januarii anno 1731.”

IX. Altera Decreto, quod pro Brevium Secretaria conditum est, ita cavetur: „Quamquam invaluerit usus dispensandi, praesertim cum sublimibus personis, ut plures Episcopatus

„tus in Germania simul retinere pos-
 „sint *ob eam* quidem justam & lau-
 „dabilem rationem, ut adversus hæ-
 „reticorum conatus Catholicam Reli-
 „gionem opibus, auctoritate, poten-
 „tia *sartam* tectam tueantur; ex in-
 „consulta tamen hujusmodi dispensa-
 „tionum frequentia, immoderatoque
 „usu, gravissima in Christianam
 „republicam incomoda manare pos-
 „se, exploratum satis est; vix enim,
 „ac ne vix quidem sperari potest,
 „ut qui tribus, vel quatuor, vel
 „etiam quinque Cathedralibus Eccle-
 „siis, magno locorum intervallo dis-
 „junctis præsit cum summa etiam
 „in temporalibus potestate, eas om-
 „nes solerter, ac fructuosè, & cum
 „animarum sibi commissarum salute
 „regere valeat. Quo sanè fit, ut ob
 „Pastorum absentiam, & cura-
 „rum, quæ ad temporales ditiones
 „pertinent, copiam, neglecta spiritua-
 „li dioecesium cultura, nec Catho-
 „licorum mores, qui à veteri insti-
 „tuto deflexerint, corrigi, nec Ec-
 „clesiasticæ disciplinæ nitor redinte-
 „grari, nec dogmata à Fide aliena
 „extirpari, nec eorum veneno pol-
 „luti homines ad Religionis Ortho-
 „doxæ veritatem reduci commodè
 „possint. Itaque, ne plurium Epis-
 „copatum in una persona coacerva-
 „tio, sacris alioquin legibus adeo in-
 „visa, quæ ex Apostolica auctoritate
 „in ædificationem rectè aliquandò
 „permittitur, perniciosè cedat in des-
 „tructionem, de consilio plurium Ve-
 „nerabilium Fratrum nostrorum S.
 „R. E. Cardinalium decernimus, &
 „mandamus, ut in posterum ei, qui
 „uni jam præsit Ecclesiæ, non nisi
 „causæ cognitione præmissa, con-
 „cedatur Indultum eligibilitatis ad
 „aliam; si verò hujusmodi indultum
 „iusta pariter causa concedendum
 „videatur ei, qui jam duas regat

„Ecclesias, semper eidem Indulto in-
 „seratur conditio, ut prædictam Ec-
 „clesiam, ad quam eum eligi contin-
 „gat, non aliter possit obtinere,
 „quam una, quam maluerit, ex prio-
 „ribus dimissa. Tres denique obtinen-
 „ti Ecclesias Indultum eligibilitatis
 „ad aliam nullo modo tribuatur. Eni-
 „xè autem rogamus, atque obse-
 „mus in Domino Romanos, Pon-
 „tifices Successores nostros, ut ipsi
 „quoque memores sapientissimi mo-
 „niti Tridentinorum Patrum in cap.
 „18. sess. 25. de reformat. salubrem
 „hanc moderationis normam in dis-
 „pensationibus prædictis omninò ser-
 „vari curent. Datum in Palatio nos-
 „tro Quirinali hac die 5. Januarii
 „1731.”

X. Suprà jam observavimus, Car-
 dinalem, qui duos habeat Episco-
 patus, alterum suburbicarium in ti-
 tulum, & alterum in administratio-
 nem, perpetuam debere statuere re-
 sidentiam in eo, cujus est solum ad-
 ministrator; ideoque in relatione sta-
 tus Ecclesiæ, ostendere debere, se
 residendi præcepto, juxta præindi-
 catam regulam, satisfecisse. Non in-
 venimus adhuc fuisse statutum, in
 quam ex multis Ecclesiis, quas
 in Germania ex dispensatione quis
 obtinet, residere debeat, ut ejusmo-
 di præceptum adimpleat; eique se ob-
 temperasse in relatione demonstrare
 valeat. Quare locum hîc habere posse
 videtur Canonici Juris regula, juxta
 quam, si ex indulgentia Romanæ Se-
 dis quis plura obtineat Beneficia, quo-
 rum unumquodque adnexam habeat
 incompatibilem residendi obligationem,
 in digniori, magisque titulari presen-
 tia indigente residere debet, *cum*
oporteat eum in majori Ecclesia de-
servire; verba sunt textus in cap. *Ex-*
tirpandæ, de præbendis; qui textus
 eodem modo intelligitur à Doctoribus

relatis à Frasso de Patronatu regio
 Indiarum cap. 27. num. 11. & seq.

XI. Qui dicuntur Capellani majores
 Regum, variis titulis insigniti
 fuerunt, sicuti videri potest in Trac-
 tatu Josephi Carafæ de Capella Re-
 gis pag. 128. Is qui hoc munere fun-
 gitur apud Catholicum Regem, qui-
 que etiam ejusdem est magnus ele-
 mosynarius, Patriarchæ Indiarum
 titulo decoratur. Quamvis verò in In-
 diis Occidentalibus maris Oceani,
 quorum Patriarcha is appellatur, com-
 plures Episcopi sint, & Catholica
 Religio vigeat & floreat; cum tam-
 en nulla ibidem existat Patriarcha-
 lis Ecclesia, nec ullum hujusmodi
 Ecclesiæ Capitulum, non potest is
 ad titulum sui Patriarchatus Episco-
 palem Consecrationem suscipere, aut
 Pallium petere; neque jurisdictionem
 sive voluntariam, sive contentiosam
 in Indiarum, aut Hispaniarum regio-
 nibus exercere; nec ad ipsas quidem
 Indias se conferre, sine expresa li-
 centia Romani Pontificis. Quare illius
 Patriarchalis dignitas ad merum re-
 digitur honoris titulum, ex quo nul-
 lum residentia onus exurgit. Ut au-
 tem Episcopali caractere non careat,
 aliqua ipsi Ecclesia, in partibus
 infidelium sita, confertur in titulum,
 cujus ratione sacræ Consecrationis
 munus eidem impenditur. Quæ om-
 nia colliguntur ex Actis in Consis-
 torio secreto die 20. Januarii anni
 1734. cum piæ memoriæ Prædecessor
 noster Clemens XII. præclarum Sa-
 cerdotem Alvarum de Mendoza, nunc
 S. R. E. Cardinalem, Indiarum Pa-
 triarcham renuntiavit in locum Car-
 dinalis Borgiæ Indiarum itidem Pa-
 triarchæ, simulque ipsum Pharsaliensi
 Ecclesiæ præfecit, eaque omnia, quæ
 hætenus dicta sunt, de Patriarchali
 Indiarum titulo exposuit.

XII. Non desunt in Ecclesiasti-
 F. II.

cis Historiis aliquorum exempla, qui
 consecrati Episcopi sunt honoris cau-
 sa, & ut magnis eorum meritis præ-
 mium aliquod rependeretur, nullo pe-
 culiaris Ecclesiæ titulo ipsis tributo;
 sicuti egregiè advertit Christianus Lu-
 pus in Comment. ad can. 6. Concilii
 Chalced. & apertè habemus ex Sozo-
 meno in Histor. Eccl. lib. 6. cap. 24.
 Adde his Barsen, & Eulogium, qui
 ambo post creabantur Episcopi, non
 urbis alicujus, sed honoris causa, qui
 veluti vitæ piæ anteactæ compensatio
 illis in propriis monasteriis defereba-
 tur; & ex Nicephoro Callixto lib. 11.
 cap. 40. ubi sic legitur: *Exitere*
propterea Barses, & Eulogius qui
ambo post longum monastici exerci-
tii certamen Episcopi sunt facti, non
in urbe aliqua, sed honoris gratia in
monasteriis suis Episcopalem consecu-
ti sunt Consecrationem. Hæc hodie im-
 mutata est disciplina, neque ullus con-
 secratur Episcopus, nisi ut certæ præfi-
 ciatur Ecclesiæ, vel actualiter ab ipso re-
 gendæ, si pateat ad eam accessus, vel
 saltem habitualiter si ad eam sub Infide-
 lium jugo gementem accedere prohibea-
 tur; cujus generis ii sunt Episcopatus,
 qui in Partibus dicuntur. Itaque, cum
 Capellani majores, sive magni Eleemo-
 synarii Regum, juxta Apostolica privi-
 legia ipsis concessa, Episcopali charac-
 tere præditi esse debeant, ut in Capellis
 Regiis peragere valeant functiones Epis-
 copales; sicuti cumulatè à nobis osten-
 sum est in epistola ad Cardinalem de
 Lanceis magnum Eleemosynarium, si-
 ve Capellanum majorem Regiæ Capellæ
 Sardinia Regis, tunc per Nos scriptam,
 cum ipsum in Nicosiensem Archiepiscopum
 consecravimus, quæ epistola inser-
 ta est in Bullario nostro tom. 2. n. 36.
 cum autem in Persona magni Eleemo-
 synarii Regis Catholici, Patriarchatus
 Indiarum, ex dictis, nequeat esse Epis-
 copalis tituli fundamentum; hinc est,
 M 3 quod